

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. FEBRVARII.

M. IACOBO RENAVT, Doctore Medico, Præside.

An Variolis, à fuso largiter sanguine, ægrè, minúsve erumpentibus, Balneum?

I.

QVAS illiterati vocant variolas, morbus est invisus, Hippocrati cognitus, veriùs omnigenorum morborum complexio, vel si vis papulis se prodens dira, communis, & contagiosa lues, pestis nonnunquam pedisequa, sæpius prænuncia, pestis ipsamet altera. Id monstri in varias vertit se facies, lusurum, illusurumque variis modis. Interdum principio minax, & veluti cuncta latè vastaturum, ad serenitatem mutatur subitò. Interdum præter indolem mirè benignum, statim atque caput extulit, condit. At plerumque effusis furoris habenis, quoscunque insilit, indignè rapit, aut iis æternas suæ rabiei notas inurit. Vtprimùm intimis subdita visceribus flamma comprehendit exagitatque vitiosos succos, simul oscitantem, nunc & brachia pandentem corripit capitis, gutturis, dorsi, lumborum dolor; infestant febris, raucedo, invitæ lachrymæ, animi defectio, nausea, vomitio; pungitur jactaturque corpus universum. Non hunc suæ figit nequitiæ modum crudescens morbus: cùm enim luridus sanguis, feroxque bilis inquietis inæstuant, tument, exultantque

præcordiis, nec jam se capiunt: seu vomant flammarum globos, seu vapor flammeus volet ad arcem corporis, de sua sede dejecta mens errat, caput occupat veternus, diffunditur imis sensibus oblivio, contrahuntur artus; nunc pavore somnus aufertur, nunc toto proflatur pectore, resonant aures, prospectum eripiunt conglutinatæ pupulæ, priùs decori & faciles oculi, nisi cœcantur, inerti stupore urgentur, aut ardent, igne & sanguine suffecti, ardent & genæ, patulæ nares collectum volvunt spiritum, sæpe & cruorem nigrum, os informe, & prætumida labra horrorem incutiunt, interclusæ fauces, quam negant cibis viam, vix laxant elisæ voci, sputoque acerrimo. Non tot pluunt glandes è concussis ilicibus, quot partes omnes extimæ pustulis obsidentur flagrantibus, albis, virentibus, purpureis, nigris, exterentibus, sanie taboque fluentibus; tum velut admorso, signatas in cute aspera cicatrices, foveas, coloremque ferrugineum relicturis. Nec melior conditio interiorum partium, quibus insedit pernicies udi & furialis veneni. Hinc ille lumbis, hic coxâ debilis, pes isti altero brevior, hinc fœtens anima, tabes, fœda, cruenta alvi proluvies, immundus sudor, quique membris undique crescit Avernalis odor. Hoc flagello tanguntur pauperum, Regumque pueri, invicti juvenes, belli fulmina: tanguntur & sideribus pulcriores virgines, quibus dilapsâ in cineres facie, sicque miserè deformatis, ut non cognoscas easdem esse, levis una mors sit, vita, superstitibus, gravis.

II.

TANTÆ calamitatis nefariè in homines grassantis causa multorum torsit ac distraxit ingenia. Nonnulli ut putarentur sapere cœlum, quod fecere nocens, vituperavére. Culpam alij transtulêre in impurissimas sanguinis menstrui reliquias: alij in contaminatum semen. Accusarunt aliqui neglectum numen: Plures fœdum atque infelicem victum; & his adversati, lautiores epulas vitamque luxu ductam: cæteri solam supervacaneorum humorum copiam; quam præter jure in crimen vocaveris pulticulam, lac alienum, nimiâ seri copiâ perfusum: Iustiùs adhuc aërem cœcâ putredine pessimè inquinatum: Is nempe seu plumbeus auster, seu iniquior spirarit aura; & cùm annus est formosissimus, & ubi æstatis, autumnive æstu incanduit: imò & cùm tristis hyems scelerato frigore angustos corporis aditus malignè clausit, labem invehit obscœni morbi, qui ut desæviat in omnis ætatis ac sexus homines, juvenesque cum senibus, parentes cum liberis metat: Potiùs tamen lactentes, nuperque depulsos ab ubere pusiones atque virgunculas: crudeliùs adultos, florentes, vividos: crudelissimè annosos invadit. Sed & quò quisque est propior, ægroque servit fideliùs; hoc citiùs venit in partem cladis, etiam in medentes, ni caveant, erupturæ. An sanguinis communione devinctos, quàm cæteros atrociùs affligit? Dignum Poëtâ commentum. At si papulis conspurcatum, si utrumque, aut alterutrum ejus parentem pestiferum luis venereæ virus afflaverit, quæcunque adsint ad salutem signa, vel ipsum vanâ spe lactabunt Medicum.

III.

CVM valens ſuique compos Natura ſecretum ab integro ſordidiſſimum ſanguinem ſtrenuè ejecit in cutem papulis coopertam, dum abſit febris, ſalva res erit, etiamſi nullum ars illi ſibi medicanti ferat auxilium. At ubi illam habet languor & æſtus, nec ſunt expeditæ ſemitæ, per quas indomitam atque obluctantem trudat illuviem, ne onere degravata penitus corruat, ſublevanda: non auro, non lapidum, gemmarúmque fragmentis, ex hiſve concinnatis confectionibus, ex quibus plus eſt mali, nihil commodi; non venenato narcoticorum uſu, non perperam vocatis hidroticis, febrem, ni adſit, adducturis, non futilibus remediis, quibus ſemihomines, qui famam venantur, obtuſas animas ludificant: ſed ſanguine, non ſemel, & quidem ſine mora, dum conſtabunt vires, fundendo, quò febri, bilique furenti compedes injiciantur, oppreſſuſque nativus calor perfletur. Impingendæ & dulciculæ potiones, ubera teneris infantulorum labris immulgenda. Iuſcula mali nunc medici, nunc arancij ſucco ſaporata grandioribus objicienda. Injicienda, etiam fuſiore alvo enemata, quæ ardorem viſcerum modificent, leniendoque blandè ſubſtringant. His omnibus ſi nihil proficitur, hæretque in alto corporis papularum parens ſanies, ne propterea ſpes abeat, aut ceſſès. Fas & jura ſinunt, ut quâ te ducit ratio, greſſum intrepidus dirigas, animúmque intendas in balneum, magnarum ſæpe remedium ægritudinum.

IV.

BALNEAS vel Natura, vel Ars temperat, ſed ambarum longè diſſimilis ratio. Naturales calidæ, ſiccæ, flagrantibus extis infenſiſſimæ, quas ſuccenſi in ſinu terræ ſulphuris, bituminis, vitrioli, calcis vires hauſerunt, noſtris addunt corporibus. Contra arte ex aqua dulci & tepida paratarum ſumma utilitas eſt. Noſtræ nimirum naturæ blanda & amica vis aquæ, dum intrò ſe dat, nihil non emollit, levat artus labore feſſos, ſitim ſqualoremque abolet, jacentem appetentiam excitat, laxat, recludit conferta & invia cutis ſpiramenta, quibus patentibus humorum fuligines liberè elabuntur: quin ubi corporis penetralia penitus ſubiit, torridos, concretos, contumaceſque ſuccos quibus ſe permiſcet, lenit, diluit, & ad exitum parat: ut cujuſvis ætatis ac ſexus hominibus, ſanis, cauſariis, tabi proximis, febri vexatis, defunctis, necdum ex morbi longinquitate recreatis apprimè conferat, munda, lætaque reddat omnia. Hem quoties frequenti lavatione prope funeratorum, nihil præter nervos & luridam pellem gerentium membris gratâ vice rediit habilis vigor, venis ſanguis, relapſus in genas decens color, vivaxque gratia, & notus in vultus honor? Dolendum nunc eſſe deſertius tam ſalutare præſidium, ſapientiſſimis olim Romanis rerum dominis familiare & jucundum vitæ, cibique quotidiani condimentum. An & eam ob rem veteres papulis morbilliſque minùs tentati? Certè qui dextro tempore lavat, cavet ne ſit unde illæ fiant; & ubi eſt, citò tutòque in cutem evocat.

V.

NE Natura vel à sectâ sæpius venâ segnior, sibi permolestam sanguinis colluviem in altis viscerum venarumque recessibus morantem propriâ vi excutere possit in cutem: ne hæc jam minimis papulis quasi punctis impressa, illam accipiat universam, obstat lutulenti humoris indocilis coctionem pati maligna vis, atque â cruditate orta pigrities; obstat & peregrino calori comes siccitas, quæ corporis inanitates comprimit, ductus coangustat, hiantesque venas astringit. Vis istos nodos, istas salutis moras rumpere? Vis & febrem deducere? fac æger (dum sint integra viscera) semel, bis, tèrve detur aquæ tepenti, calorem igneum illico remissuræ, humoremque suffecturæ plurimum, quem ut descendentem biberint partes omnes, Natura in suas se colligens vires, non ampliùs recalcitrantem, sed evictam, tractabilem, facilem, ultróque quâ se monstrat iter, sequentem colluvionem per laxiores corporis vias, & per aperta cutis foramina, quasi per omnes corporis portas effundet. At in metu est ne in partem aliquam principem cœco impetu desiliat balneo soluta impuritas: illum tibi adimet ratio. Quid? peruliles alienosque succos si peræquè minuit temperatque venæ sectio, demulcet atque perfrigerat aqua; vasis multi sanguinis profusione pulcrè depletis, quid illos concitabit, aut quò tandem evagabuntur? Viden ut quibus renem lacerat calculus, immanes cruciatus ciet colum, aut præclusa ardore vesica, rapto quadam temeritate balneo, repente carnifex dolor fugit è corpore nec perpurgato, nec nitente? Vt illo ipso pruritus, scabies, psora, ferè purgantibus furianda, delentur? Sed quem latet diu olim barbarorum infantes, vel adhuc à matre rubentes, ad flumina, quò obdurarentur, impunè delatos. Planè λουτρὸν ἄκος πόνων παντοίων optimum est inventum, etiam ad eliciendas cunctantes papulas, cùm à veteribus sapienter imperatum, tùm nostra ætate, ubi res ipsa fert, feliciter usurpandum.

Ergo Variolis, à fuso largiter sanguine, ægrè, minúsve erumpentibus, Balneum.

Proponebat Lutetiæ IOANNES ROBERT, Parisinus, A. R. S. H. MDCLXX.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi Typographi.